rum numerum relatum eſſe, Oſirimq; nuncupatum, quod e-
orum linguâ occultum ſignificat, propter mirificam eius
prudentiam, ingenijq; magnitudinem. Sed quid opus est vaga-
ri foras, et ab ethnicis ac gentilibus huius rei testimo-
nia quærere, cùm ex ipſa S. Scriptura medicinæ ſci-
entiam non à Dijs immortalibus, uti falsò illi arbitrati
ſunt, ſed à vero Deo noſtro traditam atq; institutam eſſe,
compertum habeamus? Ut tamen huius nobiliſſimæ ſci-
entiæ dignitas ac maiestas fiat admirabilior, accedunt
complures, quos omnes enumerare longum eſſet, natalium
claritate, facultatum laureis, ac virtutum meritis præ-
ſtantiſſimi patroni, qui omnes hanc divinam artem ex-
coluerunt, eandemq; nominis ſui ſplendore non parùm il-
lustrârunt. Et inprimis Aegyptiorum ſacerdotes omnes
ſunt artis huius peritiſſimi, omnium philoſophorum
ac poëtarum antesignanis Platone ac Homero testibus.
Hanc ſcientiam tractârunt et amplificârunt Dij im-
mortales, viri ſanctiſſimi, quorum nonnulli martyrij
coronam adepti ſunt; ſummi Pontifices, Imperatores
tum Græci tum Romani. Hanc Reges, Principes, Elec-